& colligendis eiusmodi gazis, honestissima cum voluptate, delectabatur. Anno 1669. vti posthaec docebo, versabatur in his regionibus litteratissimus ille *Patinus*, quo, vt ipse commemorat auctore vsus est Princeps optimus, in ordinàndo, quem collegerat, antiquorum numismatum thesauro. Is vero, post mortem Ser. Principis, ad filium natu maiorem, Ser. Ducem FRIDERICVM AVGVSTVM, transiuit; quem cum aliis virtutum laudibus, & similem litterarum amorem haereditario quasi accepisse constat jure. Auxit ille non modo thesaurum, collectis magno studio numis, sed etiam typis eundem describi est passus. Meminit descriptionis huius Polyhistor Germaniae Celeberr. *I. Alb. Fabricius*, in Bibliotheca Numaria Cel. *Anselmi Banduríi*, curis suis, Anno 1719. Hamburgi recusa, p. 234. sequentibus verbis: „*Merebat etiam in hac Bibliotheca memorari Cimeliarchium siue thesaurus numorum antiquorum & modernorum* FRIDERICI AVGVSTI *Ducis Würtemberg. rel. quod prostat Neostadii ad Cocharum. Stutgard.* 1710. *fol. pag.* 139.„ Quam impense amarit litteras & antiquitatis haec monumenta, ex iis, quae mox subjiciam, erit manifestum. Edidit Anno 1671. praestantissimum de antiquis numis opus *Carolus Patin*, inscriptum: *Imperatorum Romanorum Numismata, ex aere mediae*

&